

*egob* Divinâ aspirante gratiâ + 51.  
**FRIDERICUS**  
**SCIPIEN, I.V.D.**

*Sequentes quæstiones Juris controversas*  
Pro loco consequendo in Facul-  
tate Iuridica.

*Publicè disputandas proponit,*

RESPONDENTE

M. IOHANNE IACOBO  
AGRICOLA Lipsiense.

*In Auditorio Jureconsultorum,*  
Addiem 6. Februarij, hora 7. matutinâ.



LIPSIAE,


*Excudebat LAURENTIVS COBER.*

Diss. jur. civ.

Anno M. DC. XVII.

566, 62





## QVÆSTIO I.

Nter controversas juris quæstiones, hæc non inutilis disceptatio referenda est, Utrum ad eum, qui in aliquo loco vel territorio investitus est de omni jurisdictione, Ober und Erbgerichten / pertineat cognitio delicti in via publica istius loci & territorij commissi ? Et quanquam non desunt, qui hoc affirment, magis tamen eorum sententia placet, qui cognitionem tribuunt illi, ad quem spectant regalia istius loci vel territorij.

1.) Cùm enim viæ publicæ sint de regalibus. c. i. quæ sint regal. Et regalia sub concessione generali non veniant, sed specia-liter concedi debeant & soleant, ut notant Dd. ad d. c. i. quæ sint regalia, referente Molin. ad consuet. Paris. tit. i. de mater. feud. §. i. gl. 5. n. 55. & probatur per c. quod translatione 4. de offic. legat. Ideò sub generali infeudatione jurisdictionis & territorij non comprehenditur via publica, & quæ illi inhæret jurisdictione sive cognitio delicti ibi commissi; sed ad quem spectat via publica tanquam principale ad eundem quoque pertinebit jurisdictione tanquam accessorium.

2.) Quia generalitas concessionis semper restringitur ad habilia. l. i. & ibi gl. in verbo; unusquisq. C. de sacrosanct. Eccles. l. us gradatim. ii. §. i. & ibi Gothofred. lit. Z. D. de muner. & honor cum simil.

A 2

3.) Quia

3.) Quia concessio generalis & verba generalia non sufficiunt, ubi requiritur specialis expressio, nec quicquam operatur sermonis generalitas in iis, in quibus specialis mentio necessaria est, c. qui ad agendum. 4. de procurat. in 6. c. licet 2. de præbend. & dignitat. in 6. l. si quando. 35. §. & generaliter. 2. C de inoffic. testam. l. Divus. 15. §. 1. D. ad L. Cornel, defals. cum simil.

4.) Quia per generalem concessionem non præsumuntur translata, quæ verisimiliter quis in specie non fuisset concessurus. c. final de offic. vicar. in 6. c. in generali. de reg. jur. in 6. l. obligatione. 6. de pignor.

5.). Quia cui competit jus viæ, tanquam majus & dignius, eidem multò magis cognitionem delicti tanquam minus competere dicendum est, cùm generale sit, ut potentius & dignius trahat ad se infirmius. Hanc sententiam sequuntur Zaf. Schneidev. Beust. Borcholt. Dissentunt verò Alciat. & Roland. à Valle, ut refert Zanger. de except. part. 2. c. 1. n. 240. & seq. Diss. etiam Alciat. conf. 1. facti contingentia. lib. 7. alias est consil. 300. ubi in utramque partem hac de quaestione differit. Guid. Pap. decis. 577. Petr. Jacob. in pract. rubr. sup. jurisdict. libell. n. 16. ubi 6. rationibus & argumentis hanc sententiam impugnare conatur. In his terris hæc controversia certam habet determinationem ex Constit. Elector. quæ repetita & renovata est In der neuen Polizeyordnung / sub tit. Justitien sachen / §. vnd weil zum 24. wegen der falle.

## II.

Insulam in flumine natam eorum esse, qui proximè propè ripam prædia possident, non uno juris loco traditur, (a) huic quomodo consentaneum sit, quod alibi (b) dicitur, insulam, quæ in flumine publico nata est, publicam esse debere, videbimus.

a) §. Insula. 22. Instit. de rer. divis. l. adeò. 7. §. 3. l. inter. 29. l. insula. 56. D. de acquir. rer. domin. l. 1. §. si Insula. 6. D. de flamin.

b) l. si

b.) *l. si Epistolam. 65. in f. D. de acquir. rer. domin.* Variè hic textus accipitur, Et negative & affirmativè legitur, ut patet ex gloss. ibi item ex Cujac. lib. 14. observ. c. 11. circ. fin. Hotom. lib. 1. observat. c. 23. Robert. lib. 1. recept. lect. c. 11. Donell. lib. 4. commentar. c. 11. & 29. Pacius 6. Enant. 93.

### III.

Qui certo loco dare promisit, non tanrùm in illo loco, sed etiam in alio conveniri potest. (a) Hinc quæritur, quis ille locus sit, in quo reus extra locum solutioni destinatum conveniri possit? Et licet quidam in ea sint opinione, quòd reus promittendi, si ad locum destinatæ solutionis non accedat, nec ibi solvat, sine delectu & distinctione in quocunque loco, etiam eo, ubi aliàs non sortitur forum, conveniri possit: (b) Verior tamen est sententia illorum, qui debitorem extra locum destinatæ solutionis in nullo alio, quàm domiciliij loco conveniendum esse ajunt. (c)

a) *l. 1. C. ubi conven. qui cert. loc. dar. promis. & tit. D. de eo, quod cert. loc. §. si quis agens. vers. loco plus petitur, Instit. de Act.*

b) per *l. eum qui. 43. D. de judic. l. si duo. 16. §. 1. D. de pecun. constit. verùm hæc & similia per vestigare opponentis est.*

c.) Idque per text. in *l. heres absens. 19. §. f. ff. de judic. c. dilecti. 17. de for. comp.*

### IV.

Intricata quæstio est, An debitor invito creditori debitum per partes solvere possit? Negativa recepta est, cui astipulamur.

1.) per l. tutor. 41. §. *Lucius litius*. D. de usur. l. ob signatione. 9. ibi;  
totius debitæ pecuniæ. C. de solut. l. hū consequenter. 18. §. *Celsus*. D.  
*Famil.* Ercisc. l. *Julianus*. 13. §. offerri. 8. D. de Act. Emt. l. debitoris. C.  
debitor. vendit. pign. imped. non poſſ. cum. simil. Habet enim particu-  
laris solutio ſæpè multa incommoda. l. plane. 3. D: *Famil.* ercisc.  
Eam ergò creditor, ne ſibi per debitorem iniqua conditio in-  
feratur, invitus recipere non cogitur, præfertim cùm & ipſe  
non particulatim debitori pecuniam dederit.

2.) Hanc sententiam maximè confirmant iſtæ leges, in qui-  
bus habetur, quod specialiter in casibus ibi expressis solutio  
per partes fieri poſſit. Ex eo enim conſequitur aliás & gene-  
raliter id non licere, ut in caſu l. cum heres. 4. §. item ſi decem. 6. D.  
de stat. liber. l. placuit. 4. C. de collat. fund. patrim. libr. 11. l. ult. C. de  
epoch. publ. lib. 10. cum ſimil.

Diss. Alciat. Dec. Fulgos. ad l. quidam. D. de reb. credit. Coras.  
ad l. 2. §. & harum. D. de verb. obl. repetens eadem, quæ Alciat.  
tradit.

## V.

Illud quoque in ambiguis positum, An pro  
frumento vel alia re debita solvi poſſit aëſtimatio  
creditori nolenti? Negativa hīc quoque recepta  
& vera eſt.

Pro regula enim traditur in l. 2. §. 1. D. de reb. cred. quod  
aliud pro alio invito creditori solvi non poſſit. Idem probat  
l. eum à quo 16. C. de solut. Et facit pro hac sententia l. manifesti. 17.  
l. cum pro pecunia. 24. C. de solut. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. ſi pro  
mutua. 8. C. ſi cert. petat. cum ſimil. in quibus dicitur, quod con-  
ſentienti creditori pro pecuniā mutuā fundus vel alia res in ſo-  
lutum dari poſſit. Inde ergò à contrario ſenſu ſequitur, quod  
invito creditori hoc minimè fieri queat.

Diss. quidam per l. vinum. 22. D. de rebus credit. l. quoties in diem.  
59. D. de verb. obligat. l. ſi quis stipulatus. 57. D. de solut. l. ſi ita fidei uiffo-  
rem. 42. D. de fidei uiffor. Et al. ſimil. text. & argum.

Simi-

## VI.

Similiter controversia non caret, An id, quod in diem debetur, ante diei adventum invito creditori solvi possit? Cujac. & Ferret. præ cæteris haud levi argumentorum pondere hoc negant. Dd. autem communiter affirmativam tenent, hos sequimur.

Totum enim medium tempus ad solvendum debitori liberum relinqui intelligitur, & ejus gratia adjectum censetur. l. quod certa die 70. D. de solut. l. cum tempus. 17. D. de reg. jur. Et confirmant hanc opinionem manifestò non solum d. l. quod certa die. 70. sed etiam l. stipulatio ista. 38. §. inter incertam. l. eum qui. 41. §. quoties. ibi; Ex quo apparet diei adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore. l. continuus. 137. §. cum ita stipulatus. 2. ubi erpressè dicitur, quod in diem debetur, ante solvi potest. D. de verb. oblig. sanè si vel expressè, vel ita, ut manifestè id colligi possit, creditoris causa dies adjectus fuerit, ante diem debitor solvere nequit. l. eum qui. 15. D. de ann. legat. l. si ita. 43. §. Pegasus. D. de legat. 2. Dissent. Cujac. & Ferret. ad d. l. stipulatio ista. 38. §. inter. D. de verb. oblig. Et Cujac. lib. 23. observ. c. 22.

## VII.

In eo etiam dissentientes ac variæ sunt Dd. opiniones, utrum ex pacto de retrovendendo competit actio adversus secundum emtorem & possessorem, cum quo pactum illud factum non est? Quidam enim simpliciter hoc affirmant, quidam negant; alij distinguunt. Nos iis accedimus, qui negativam sequuntur, quæ & Imperialis Cameræ præjudiciis confirmata est.

A 4

Vid.

Vid. Gail. lib. 2. obs. c. 16. Myns. obs. 69. cent. 6 Joh. Meichsner.  
tom. 1. decis. Cam. Imper. lib. 2. decis. ult. qui præ cæteris hanc quæ-  
stionem latè & pulchrè tractat, & 7. fundamenta sententiaæ ne-  
gantis recenset, & ad contraria respondet. Hart. Hartm. Pract.  
observ. tit. de pact. & transact. c. 5. Fachin. lib. 2. controversial. c. 15. Ubi  
hanc quæstionem difficultem & controversam dicit, & de singu-  
lis opinionibus, earumque fundamentis agit. Hartm. Pst. quest.  
21. lib. 1. ubi similiter in his terris ita judicatum fuisse testatur.  
Moller. ad Constit. Elect. 32. part. 2. n. 37. usq; ad n. 41. & mult. al. quos  
hi allegant. Vid. & Zoannet. Sichard. & al. ad rubr. & l. 2. C. de  
pact. int. emit. & vendit! & ibi etiam Gozadin. & Cagnol. in repetit.  
illius l. 2. & fac. pro hac sententia negante, cùm al. fundam. tūm  
præcipue d. l. 2. l. qui fundum. 75. D. de contrah. Emt. l. si sterili 21. §.  
si tibi fundum D. de act. emit. cum simil. in quibus dicitur, ex ejusmo-  
di pacto oriri tantum actionem personalem ex vendito, vel præ-  
scriptis verbis: At hæ personales actiones competunt solum  
adversus eum, ejusvè heredes, cùm quo pactum factum est, non  
verò adversus tertium. Ergò. Quam sententiam confirmat  
etiam Constit. Elector. 32. part. 2. ubi in simili pacto des vorkauffs/  
dispositum est, ex eo quoque non dari actionem adversus alium  
possessorem.

## III X.

Heredem, qui legata ad pias causas solvere,  
& adimplere negligit, privari omni lucro ipsi re-  
licto certi juris est, unde quæsitus, an etiam legi-  
timam filius amittat, eaque privandus sit, si lega-  
ta ad pias causas, quæ parens ordinavit, solvere &  
exequi neglexerit? Fachin. cum Hostiens. Joh.  
Andr. & aliis quos refert, affirmativam probabi-  
liter defendere conatur: Verior tamen & æquior  
negativa videtur, quam tenent Covarruy. &c alij  
ab ipso allegati.

Idque

Idque per textum manifestum in Novell. i. de hered. & Falcid.  
c. i. vers. si quis autem non implens &c. Et inde sumt. auth. hoc  
amplius. C. de fideicommiss. ubi discrimen constituitur inter  
extraneum heredem, & eum cui ex lege & natura quædam suc-  
cessio sive certa portio debetur à testatore & moriente, & dici-  
tur, quod hic , si non impleat, quod dispositum est, amittat so-  
lum reliquum lucrum successionis sive hereditatis , excepta illa  
portione, quam lex ei tribuit. Et quia hæc Novell. generaliter  
de omnibus legatis loquitur , Et in specie etiam de legato liber-  
tatis, quod pius est , Ideò etiam generaliter de quovis legato-  
rum genere , & sic etiam de legatis ad pias causas intelligen-  
da est.

Diss. Fachin. cum ibi relat. Dd. lib. 6. controvers. c. 73. per cap. si  
beredes 6. de testam. c. licet. 6. de vot. Et Novel. 131. de Ecclesiast. titul. c.  
ii. versic. si autem qui hoc facere jussi sunt.

21.1.9  
IX.

Utruni verò in legatis ad pias causas locus sit  
detractioni Falcidiæ , propter diversa juris loca,  
anceps quæstio est ? Affirmativæ subscribimus.

1.) Per l. i. §. ad municipum. D. ad l. Falcid. ubi expressè dici-  
tur , quod etiam ad pia legata lex Falcidia pertineat. Et licet  
huic text. negationem addendam esse existimârunt Cujac. &  
Balduin. reprehenduntur tamen , & recepta lectio defenditur  
à Roberto libr. i. recept. lect. c. 15. Forner. lib. 2. select. c. 25. & Cu-  
jac. prioris sententiæ suæ contradicit in Exposit. Novel. 131. ubi af-  
firmat, heredem qui non sit in mora & frustratione, posse etiam  
ex piis legatis deducere Falcidiam.

2.) Per l. Falcidiæ . 2.C. ad l. Falcid. ibi ; Falcidiæ rationem ad-  
versus omnes locum habere &c. Qui autem dicit omne , nihil  
excludit.

3.) Per Novell. i. de hered. & Falcid. c. i. vers. si verò nulla sub-  
est &c. ubi habetur , quod tunc demum heres ex piis legatis  
non possit detrahere Falcidiam , si intra præfinitum tempus

A 5

non

non impleat, quod dispositum vel præceptum est. Ergo si justo tempore impleat, & non sit in mora, omnino poterit Falci-  
diam deducere, ut à contrario sensu rectè sequitur.

Diss. nituntur l si quis ad declinandam. 48. C. de Episc. & Cleric.  
Novell. 131. de Ecclesiast. tit. c. 12. quod tamen hoc non probat, &  
ex qua minus rectè aut integrè descripta est Anth. similiter. C.  
ad L. Falcid.

## X.

Denique hanc controversiam adjicere pla-  
cet, An feudi emitij æstimatio in divisione bono-  
rum paternorum conferenda sit?

F I N C I S.





